

# **Missal de Lorvão**

## **<Ordo Missae>**

*/Fol 129/*

*Oratio cum ad altare vadet*

Ante conspectum divine maiestatis, Domine, reus assisto et non sum dignus ego, peccator, accedere ad altare sanctum ad invocandum nomen sanctum tuum et sacrum misterium celebrandum, set tu, Domine Deus miserator et misericors, cunctis meis criminibus et peccatis clementer ignosce, et effice me tibi idoneum ministrum, scelera et peccata mea dimittendo, et gratiam tuam michi misericorditer largiendo. Per.

*Alia oratio*

Aufer a nobis Domine cunctas iniquitates nostras, ut puris mentibus mereamur ad sancta sanctorum introire. Per.

*Et dicat etiam Pater Noster*

*Benedictio ante Evangelium*

Dominus sit in corde et in ore tuo, ut digne annunties evangelium Christi. Amen.

*Oratio dum offert hostiam*

Suscipere digneris Domine hostiam de manu miseri et peccatoris tui sacerdotis, ad salutem omnium tam vi /Fol 129v/ vorum quam et defunctorum.

*Alia oratio*

Suscipe, Domine sancte Pater omnipotens eterne Deus, hanc oblationem quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis,

passionis, resurrectionis et ascensionis Domini nostri Ihesu Christi, et in honorem omnium sanctorum tuorum qui tibi placuerunt ab initio mundi et quorum festivitas celebratur<sup>1</sup> hodie per universum mundum, et quorum reliquie vel nomina hic vel ubique habentur conscripta ut illis proficiat ad honorem, nobis ad salutem, et ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in celis, quorum memoriam facimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

*Oratio cum manus lavantur*

Largire nobis clementissime Pater, ut sicut exterius lavantur inquinamenta manuum, sic interius deleantur pollutiones mencium, et crescat in nobis augmentum sanctarum virtutum. Amen.

*Item alia oratio*

Lavabo inter innocentes manus me /Fol 130/as et circumdabo altare tuum Domine. Ut audiam vocem laudis *et cetera*.

*Post offerendam, curvus ante altare dicat sacerdos:*

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur Domine a<sup>2</sup> te, et sic fiat sacrificium nostrum ut a te suscipiatur et placeat tibi Domine Deus.

*Et postea volvat se ad populum dicens devote:*

Orate fratres carissimi et sorores pro me misero peccatore, ut meum pariter ac vestrum acceptabile fiat sacrificium in conspectu Domini.

*Responsio*

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, suscipiatque Dominus de manibus tuis sacrificium istud, et orationes tue ascendant in memoriam ante Deum pro nostra et totius populi salute. Amen.

*Benedictio ad omnia que volueris*

Benedic + Domine creaturam istam ut sit remedium salutare generi humano, et presta per invocationem nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint<sup>3</sup>, corporis sanitatem et anime /Fol 130v/ tutelam percipient. Per.

<sup>1</sup> Cebratur *cod*

<sup>2</sup> ad *cod*

<sup>3</sup> sumserint *cod*

*Benedictio fructus novi*

Domine sancte Pater omnipotens eterne Deus, qui celum et terram mare et omnia que in eis sunt creasti, te supplices petimus, ut fructum novum bene + dicere et sancti + ficare digneris, et multiplicare offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti, ut letantes in eis referant tibi Deo omnipotenti laudes et gratias. Per.

*/Fol 131/*

*In Pascha*

VD. Equum et salutare. Te quidem Domine omni tempore, set in hac potissimum nocte (*vel* die) gloriosius predicare, cum Pasca nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi. Qui mortem nostram moriendo dextru /Fol 131v/xit, et vitam resurgendo reparavit.

Et ideo, cum angelis et archangelis, cum tronis et dominationibus. Cumque omni militia celestis exercitus, hymnum glorie tue canimus sine fine dicentes.

*Infra actionem*

Communicantes et noctem (*vel* diem) sacratissimam celebrantes resurrectionis Domini Dei nostri Ihesu Christi secundum carnem.

Set et memoriam venerantes, in primis gloriose semper Virginis Marie genitricis eiusdem Dei et Domini nostri Ihesu Christi.

Set et beatorum.

*/Fol 132/*

*Infra actionem*

Hanc igitur oblationem servitutis nostre set et cuncte familie tue quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quesumus Domine ut placatus accipias diesque nostros in tua pace disponas.

*Prephatio de Ascensione Domini.*

*Et dicitur ipsa die tantum et in octava.*

Per Christum Dominum nostrum. Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in ce /Fol 132v/ lum, ut nos divinitatis sue tribueret esse particeps.

Et ideo cum.

*Infra actionem*

Communicantes et diem sacratissimum celebrantes quo Dominus noster unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostre substantiam in gloriam tue dextre collocavit. Set et memoriam venerantes, in primis gloriose semper Virginis Marie genitricis eiusdem Dei et Domini nostri Ihesu Christi. Set et beatorum apostolorum.

*In Pentechosten*

Per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes celos, sedensque ad /Fol 133/ dexteram tuam promissum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Qua propter profusis gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat. Set et superne virtutes atque angelice potestates, hymnum glorie tue concinunt, sine fine dicentes. Sanctus.

Communicantes et diem sacratiss /Fol 133v/ simum Pentechostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus apostolis innumeris linguis apparuit. Set et memoriam.

Hanc igitur oblationem servitutis nostre, set et cuncte familie tue quam tibi offerimus prohiis quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu Sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Quesumus Domine ut placatus accipias diesque nostros.

*Prephatio de Santa Trinitate<sup>1</sup>*

VD. Eterne Deus.

Qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus. Non in unius singularitate persone. Set in uni /Fol 134/ us Trinitate substancie. Quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. Ut in confessione vere sempiterneque deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in maiestate adoretur equalitas. Quam laudant An / Fol 134v/ geli atque Archangeli, Cherubin quoque ac Seraphin, qui non cessant clamare cotidie una voce dicentes.

*Beate Marie*

VD. Eterne Deus.

Et te in annuntiatione, vel assumptione, vel nativitate, vel veneratione Beate Marie Semper Virginis, collaudare, benedicere et predicare.

---

<sup>1</sup> Trininitate cod

Que et Unigenitum /Fol 135/ tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente huic mundo lumen eternum effudit, Ihesum Christum dominum nostrum.

Per quem maiestatem.

*De Apostolis*

VD. Equum et salutare.

Te Domine suppliciter exorare, ut gregem tuum pastor eterne non deseras, set per beatos apostolos tuos con /Fol 135v/tinua protectione custodias. Ut isdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti preesse pastores.

Et ideo cum.

*De cruce*

VD. Eterne Deus.

Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Et qui per lignum vince /Fol 136/bat, per lignum quoque vinceretur. Per Christum dominum nostrum.

Per quem maiestatem.

*Cantus solemnis*

Per omnia secula seculorum.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Sursum corda.

Habemus ad Dominum.

Gratias agamus domino Deo nostro.

Dignum et iustum est.

/Fol 136v/

Vere dignum et iustum est, equum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens Eterne Deus, per Christum dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. /Fol137/ Celi celorumque virtutes ac beata seraphin sotia exaltatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus.

*Cantus ferialis*

Per omnia secula seculorum. Amen.

Dominus vobiscum

Et /Fol 137v/ cum spiritu tuo.  
 Sursum corda.  
 Habemus ad Dominum.  
 Gratias agamus domino Deo nostro.  
 Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, equum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens eterne Deus, per Christum dominum nostrum. Per quem maiestatem.

/Fol 138/

Te igitur clementissime Pater per Ihesum Christum Filium tuum dominum nostrum, supplices rogamus et petimus, uti accepta habeas et benedicas hec do+na, hec mu+nera, hec sancta sacri+fitia illibata. In primis que tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris, toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro *Ill.* et antistite nostro *Ill.* et rege nostro *Ill.* et omnibus orthodoxis<sup>1</sup> atque catholice et apostolice fidei cultoribus.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum *Ill.* et omnium circum astantium quorum tibi fides cognita est et nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium lau /Fol 138v/ dis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolummitatis sue, tibi reddunt vota sua eterno Deo vivo et vero.

Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriose semper Virginis Marie Genitricis Dei et Domini nostri Ihesu Christi. Set et beatorum apostolorum ac martirum tuorum, Petri, Pauli, Andree, Iacobi, Iohannis, Thome, Iacobi, Phylippi, Bartholomei, Mathei, Simonis et Thadei, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cipriani, Laurentii, Crisogoni, Iohannis et Pauli, Cosme et Damiani. Et omnium Sanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tue muniamur auxilio. Per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostre set et cuncte familie tue, quesumus /Fol 139/ Domine, ut placatus accipias diesque nostros in tua

---

<sup>1</sup> Orthodosis cod

pace disponas, atque ab eterna dannatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quesumus bene+dictam, ascrip+tam, ra+tam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis cor+pus et san+guis fiat dilectissimi Filii tui Domini Dei nostri Ihesu Christi.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in celum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, bene+dixit, fregit dedit discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes. HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Simili modo postea quam /Fol 139v/ cenatum est, accipiens et hunc preclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas<sup>1</sup>, item tibi gratias agens, bene+dixit, dedit discipulis suis dicens: ACCIPITE ET BIBITE EX EO OMNES. HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI NOVI ET ETERNI TESTAMENTI MISTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Hec quotienscumque feceritis in mei me /Fol 140/ moriam facietis.

Unde et memores Domine nos tui servi set et plebs tua sancta Christi Filii tui Domini Dei nostri beate passionis nec non et ab inferis resurrectionis, set et in celos gloriose ascensionis, offerimus preclare maiestati tue, de tuis donis ac datis, hostiam + puram , hostiam + sanctam, hostiam + inmaculatam, panem + sanctum vite eterne, et calicem + salutis perpetue.

Supra que propatio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es<sup>2</sup> munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarche nostri Abrahe, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium inmaculatam hostiam.

---

<sup>1</sup> Sup.lin.

<sup>1</sup> est cod

Suplices te rogamus omnipotens Deus, iube hec perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divine /Fol 140v/ maiestatis tue, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui cor+pus et sanguinem sumpserimus, omni bene+dictione celesti et gratia repleamur. Per eundem Christum dominum nostrum.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum *Ill.* et *Ill.* qui nos precesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

Ipsis et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatum donare digneris, cum tuis sanctis apostolis et martiribus cum Iohanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcelino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agna, Ce /Fol 141/cilia, Anastasia et cum omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos consortium non exstimator meriti mei venie quesumus largitor admitte. Per Christum dominum nostrum. Amen.

Per quem hec omnia Domine semper bona creas, sancti+ficas vivi+ficas, bene+dicas, et prestas nobis.

Per ip+sum et cum ip+so, et in ip+so, est tibi Deo + Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria.

Per omnia secula seculorum<sup>1</sup>.

Amen.

Oremus.

Preceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere:

/Fol 141v/ Pater noster qui es in celis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in celo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in temptationem. /Fol 142/ Set libera nos a malo. Amen.

---

<sup>1</sup> seculorum] seculorum culorum cod

Cantus ferialis

Per omnia secula seculorum<sup>1</sup>

Amen.

Oremus.

Preceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere.

Pater noster qui es in celis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in /Fol 142v/ celo et in terra. Panem nostrum cottidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in temptationem. Set libera nos a malo. Amen.

Libera nos, quesumus Domine, ab omnibus malis preteritis presentibus et futuris, et intercedente beata et gloria semper Virgine Dei genetrice Maria, et beatis apostolis tuis, Petro et Paulo atque Andrea cum /Fol 143/ omnibus Sanctis tuis. Da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordie tue adiuti et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Ihesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Per omnia secula seculorum.

Amen.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *II.*

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

*Dum comiscetur Corpus, dicat:*

Hec sacro sancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Ihesu Christi, fiat michi et omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad vitam eternam promerendam et capes /Fol 143v/ sendam preparatio salutaris. Amen.

---

<sup>1</sup> secula seculorum] *sup. ras.*

*Ante quam Corpus suscipiat, dicat:*

Domine Ihesu Christe, Fili Dei vivi qui ex voluntate Patris cohoperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me queso per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum, a cunctis iniquitatibus meis et ab universis malis et a cogitationibus perversis et fac me tuis semper obedire mandatis, et a te separari numquam in perpetuum me permittas. Qui vivis et regnas Deus per omnia seculorum. Amen.

*Post susceptionem Corporis et Sanguinis*

Perceptio corporis et sanguinis Domini nostri Ihesu Christi sit michi Domine et omnibus fidelibus tuis remissio peccatorum et salubre solamen ad vitam eternam consequendam<sup>1</sup>.

Qui vivis.

*Dum suscipit Corpus*

Corpus domini nostri Ihesu Christi custodiat me in vitam eternam. Amen.

*Dum suscipit Sanguinem*

Sanguis Domini nostri Ihesu Christi custo /Fol 144/ diat me in vitam eternam. Amen.

*Finita missa, dicat hanc orationem:*

Placeat tibi Sancta Trinitas unus Deus obsequium servitutis mee, et presta ut hoc sacrificium quod indignus obtuli tue oculis maiestatis, tibi sit acceptabile, michique et omnibus pro quibus illud obtuli sit te miserante propitiabile. Qui vivis et regnas.

Meritis et precibus istorum et omnium sanctorum suorum, misereatur nostri omnipotens Deus. Amen.

Ite missa est.

/Fol 144/Ite missa est.

Benedicamus Domino.

Benedicamos Domino.

---

<sup>1</sup> consequedam cod

Ite missa est, Alleluia, alleluia.  
Requiescant in pace. Amen.

*In diebus sollemnibus:*  
Gloria in excelsis Deo.

*In diebus quibus non laboramus:*  
Gloria in excelsis Deo.

*Dominicis et aliis festis quibus non laboramus:*  
Gloria in excelsis Deo.

*In omnibus sollemnitatibus Virginis Marie:*  
Gloria in excelsis /Fol 145/ Deo.

*In sollemnitatibus quibus laboramus:*  
Gloria in excelsis Deo.

#### *Cantus alius*

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bone voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex celestis. Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Ihesu Christe. Domine Deus Agnus Dei. Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccatta mundi suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus altissimus Ihesu Christe. Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

*Simbolus apostolorum qui dicitur tantum in diebus sollemnibus*  
*/Fol 145v/ Credo in unum Deum.*

Patrem omnipotentem. Factorem celi et terre, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Ihesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstanciali Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de celis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tercia die secundum scripturas. Et ascendit in celum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spiritum Sanctum dominum et vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et cumglorificatur. Qui loquutus est per prophetas. Et unam, sanctam catholicam et /Fol 146/ apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

*Cum discedit de altare sacerdos, dicat:*

*Hymnum:* Trium puerorum cantemus, quem cantabant in camino benedicentes Dominum.

Benedicte omnia opera.

Ps. Laudate Dominum de celis.

*Hymnum* Trium <puerorum> *repetatur*

Kyrieleyson.

Christeleyson.

Kyrieleyson.

Pater noster.

Et ne nos inducas in temptationem.

Set libera nos a malo.

V. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

Et Sancti tui benedicant tibi.

Gloriosus Deus in Sanctis suis.

Mirabilis in maiestate sua.

Non nobis Domine non nobis.

Set nomini tuo da gloriam.

Dominus vobiscum.

*Oratio*

Deus qui tribus pueris mitigasti flamas ignium, concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

*Alio oratio*

Acciones nuestras quesumus Domine aspirando perveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipient et per te cepta finiantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.